

structurae antiquae genere. Itaque latius quam qua caede- 9
retur ruebat perque patentia ruinis agmina armatorum in
urbem uadebant. Locum quoque editum capiunt, conlatisque 10
eo catapultis ballistisque ut castellum in ipsa urbe uelut
arcem imminentem haberent muro circumdant; et Saguntini
morum interiorum ab nondum capta parte urbis ducunt.
Vtrimque summa ui et muniunt et pugnant; sed interiora 11
tuendo minorem in dies urbem Saguntini faciunt. Simul 12
crescit inopia omnium longa obsidione et minuitur exspecta-
tio externae opis, cum tam procul Romani, unica spes, circa
omnia hostium essent. Paulisper tamen adfectos animos 13
recreauit repentina profectio Hannibalis in Oretanos Car-
petanosque, qui duo populi, dilectus acerbitate consternati,
retentis conquisitoribus metum defectionis cum praebuissent,
oppressi celeritate Hannibalis omiserunt mota arma. Nec 12
Sagunti oppugnatio segnior erat Maharbale Himilconis
filio—eum praefecerat Hannibal—ita impigre rem agente
ut ducem abesse nec ciues nec hostes sentirent. Is et 2
proelia aliquot secunda fecit et tribus arietibus aliquantum
muri discussit strataque omnia recentibus ruinis aduenienti
Hannibali ostendit. Itaque ad ipsam arcem extemplo ductus 3
exercitus atroxque proelium cum multorum utrimque caede
initum et pars arcis capta est.

Temptata deinde per duos est exigua pacis spes, Alconem
Saguntinum et Alorcum Hispanum. Alco insciis Saguntinis, 4